

non maturo opportunoque tempore adhibitorum, longius proserpit, ac in dies magis magisq; augeri potest.

*Lib. 1. de re
med. cap. 2.*

Celsus præterea, in specie, his qui ventriculo debiliori sunt, observandum illad imperat, Prima (inquit) eius curatio , exercitatio est, quæ semper antecedere cibum debet: in eo qui minus laboravit, & benè concoxit, amplior: in eo qui fatigatus est, & minus concoxit, remissior.

Sufficient igitur hæc de exercitiis: quorum usus naturalis ac legitimus, admodum utilis est & necessarius, ad sanitatis vitæque diuturnæ conservationem: cum contrà illorum intermissionis varios morbos, teste Aëtio, ingeneret.

*teir. 3. serm.
4. cap. 7.*

DE QUIETE.

Cap. XII.

Demonstravimus suprà, clarissimorum virorum authoritatibus non solum, sed firmissimis etiam ac validissimis rationum moti-
tis comprobavimus, quam utilis & necessarius exercitiorum sit usus, ad corporis humani Tani-
tatem conservandan: adeo, ut non putem, in-
veniri adhuc quendam posse, qui in re tam certa
ac manifesta dubitare ausit.

Hinc igitur palam liquet, ex primis illis & an-
tiquissimis medicis, Asclepiadem, & post illum
Erasistratum (errore ambos effascinatos) per-
peram

peram non solum reprehendisse, sed conatos *Abrogatio exercitorum*
quoque fuisse omnem exercitorum usum tolle-
re, tanquam rem inutilem & exitiosam: qui que
cō vesaniae processerant, ut hominibus persua-
serint, majorem esse quietis otiique necessitatem,
quā ex exercitiis, contra plus quā centum me-
dicorum, illorum ~~estate~~ florentium, opinio-
nem.

Si igitur summis hastenus laudibus, exerce-
tiorum usum, ad sanitatis conservationem sum-
mē necessarium prosecuti fuimus, id ad imita-
tionem plurium antiquorum medicorum, qui
nobiscum idem sentiunt, fecimus. Adjunxitus
præterea differentias illorum conspicuas, ex
quibus disci potest, quānam exercitia sint vio-
lentiora, quāve moderata, & naturæ consen-
tanea.

Similiter nunc de quiete dicturi, neque Ascle-
piadis neque Erasistrati opinionem amplecte-
mur, qui nimis otio seu quieti indulgentes, plus
justo ipsis attribuerunt.

Nimis enim diurna ac otiosa quies obest
non solum corpori, sed etiam animæ: causa quæ
existit gravarum cogitationum: vitam dissolu-
tam reddit, torporem membrorum inducit, i-
gnorantiam fovet, socordiam excitat, memo-
riam auferit, sapientiæ studio adversatur, judici-
um obtundit, corpus nimis refrigerat & discolo-
rat, pororum meatus obstruit, humorum deslu-
xiones irritat, morbum articularem gignit, epi-
lepsiam & apoplexiā procreat, & infinita præ-
terea alia mala tam animæ, quam corpori, uti
Effectus &
tūsive quā-
etis.

X dixi-

diximus adfert. Est igitur institutum nostrum deinceps verba facere, non de ea quiete (quam potius damnamus) de qua Poëta his versibus:

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus;

Vt captant vitium, ni moveantur, aquæ.

Sed de illa, quæ motui contraria, spiritus nostros reficit, & membris defatigatis laboreq; languentibus novam roboris vim ac virtutem immittit: partes enim corporis diutius durare nequeunt sine quiete: sicut poëta canit:

Quod caret alternâ requie, durabile non est,

Hec reparat vires, fessaq; membra levat.

Est igitur quies illa, de qua loquimur, moderata, quæ inter res reliquas, non naturales dictas, utilissima quoque & imprimis necessaria est ad sanitatem, si scilicet rectè & legitimè usurpetur.

Hinc è factis edocti literis habemus expreßum mandatum, quod Deus creator & Opifex omnium rerum hominibus dedit: ut scilicet *Quiescere* quiescerent septimo die, sicuti & ipse illo ipso die cessavit & quievit ab opere, quod absolvatur: ut salutari hoc exemplo doceamur, diuturnos labores, ut leviores fiant, intermissione aliquando levari oportere, ut hoc modo instauratis viribus promptiores animo corporeque ad novos perferendos labores reddamar: nam ut scribitur:

Otia corpus alunt, animus quoq; pascitur illis.

Mediocris igitur & modica quies utilissima est, ob rationes suprà dictas, tamen ratione valedudinis bonæ tuendæ, quatenus ipsius vitae producendæ. Maximè etiam necessaria est illa ad mul-

to-

torum morborum curam, in qua omnino quies requiritur, aut iuxta proverbium illud Iralicum: O portet ut teneas la man al pedo, & il pie- Quibus fra-
di al lecto: qua quietis ratione utuntur podagri- quiescentia
ci, qui doloribus maximis cruciantur: & illi,
qui vulnera quodam accepto vel in pede, vel
in humeris miserè torquentur: aut qui tumore
aliqueo & inflammatione alicuius partis ad mo-
tum ciendum, & corporis progressum promo-
vendum, factæ, infestantur. Quies optimum
& præsentissimum est remedium multorum ma-
lorum, quæ à latitudine proveniunt: simili-
ter illa confert etiam omnibus diarrœis, lien-
teris, dysenteriis, & reliquis ventris proflu-
viis. Nam, ut scribit Aëtius: Silentium qui-
dem ac quies ventrem cohibent, motus autem *Act. tetr. 3.*
serm. c. 27.
& deambulatus impellunt. Id quod confir-
mat etiam Celsus his verbis: Quem verò fre- *Cels. lib. 2.*
quenter citata alyvs exercet, semper debet post *de remed.*
cibum conquiescere, ac neque intendere ani- *cap. 6.*
mum, neque ambulatione, utcunque etiam le-
vi, diu moveri.

Quemadmodum igitur somnus mediocris
post vigilias requiritur, tanquam res utilis & ne-
cessaria: sic pari modo utilis & necessaria quies
est, post exercitia & labores.

Oribasius lib. 6. collect. medicin. cap. 2. ubi
tractat de quiete, expressè docet, quibus homi-
nibus, & quibus in casibus quies potissimum sit
necessaria: Quibus, inquit, decubitus, iis etiam
quies & tranquillitas convenient: ac præcipue qui-
dem in principiis accessionum: itemque incre-

, mentis , & post cibum nuper sumptum , & cum
 , quis dormire cogitat, apta est quies & tranquili-
 litas.

Præterea diligenter observandum est, circa
 quietis considerationem, quibus temperamentis
 naturaliter homines sint prædicti. Nam quemad-
 modum exercitium mediocre , juxta Hippocra-
 tem, congruum est & utile phlegmaticis , & iis,
 qui natura sunt frigidi & huiusmodi: ut qui sunt pin-
 gues , obesi,carnoli & robusti : sic similiter quies
 maximè convenit iis , qui sunt biliosi & calidæ
 temperiei & siccae : qui sunt extenuati, inacri , &
 emaciati , ac imbecilli : propterea quod quietis
 beneficio spiritus refocillantur & corroboran-
 tur, corpusq; grata humiditate perfunditur. Hæc
 breviter dicta sint de utilitate & fructibus, qui ex
 moderata quiete profiscuntur. Multa sunt su-
 pra de somno à nobis dicta, quæ aptè hūc ad
 quietis contemplationem referri possunt: pro-
 pterea quod hæc duo maximam vicinitatem in-
 vicem habeant, & unum alterum non obscurè
 referat: quod lectorem, ne rem unam eandemque
 toties repetere necesse sit, relegatum volamus.

DE REPLETIONE ET INANITIONE.

Caput XIII.

VT tandem finem imponamus sectioni huic
 secundę nostri Diætetici polyhistorici, no-
 bis adhuc paucis agendum restat de repletione
 & inanitione.

Reple-